



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Ejusdem epistola ad Petrum Præpositum & Canonicos Ecclesiæ  
Ruthenensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

nemo præsumat. Vestra sanè, carissime frater, intentio erit gregi commissio curam vigilanter impendere & Romanæ Ecclesiæ decreta inviolabiliter observare; quatenus multiplicato laborum fructu, ad vitam valeatis perpetuam pervenire. Sanè si quis in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vicecomes, aut iudex, aut persona quælibet magna vel parva, potens aut impotens, hujus nostri privilegij paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonitus si non satisfactione congrua emendaverit, à Christi Ecclesia eum auctoritate potestatis apostolicæ segregamus. Conservantibus autem pax a Deo, misericordia præsentibus ac futuris seculis conservetur. Amen, Amen, Amen. Scriptum per manum Gregorij Scrinarij atque Notarij sacri palatij. Datum Romæ per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis anno dominicæ incarnationis millesimo x c i. Indictione xii. pontificatus domni Urbani Papæ II. anno iii. die Kalend. Aprilis.

*EPISTOLA VRBANI II. PAPÆ  
ad Petrum Præpositum & Canonicos  
Ecclesiæ Ruthenensis.*

**V**Rbanus Episcopus servus servorum Dei Petro Præposito & ejus fratribus in Ecclesia Ruthenensi canonicam vitam professis, eorumque successoribus in eadem religione permansuris in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectum debet prosequente compleri; quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur vos, ô filij carissimi, per divinam gratiam aspirati, mores ve-

An. 1099.

stros sub regularis vitæ disciplina coercere & com-  
 muniter secundum sanctorum patrum institutionem  
 omnipotenti Domino deservire proposuistis, nos  
 votis vestris paterno congratulamur affectu. Vnde  
 etiam petitioni vestræ benignitate debita imperti-  
 mur assensum. Vitæ namque canonicæ ordinem,  
 quem professi estis, præsentis privilegij auctoritate  
 firmamus; & ne cui post professionem exhibitam  
 proprium quid habere, neve sine Præpositi vel con-  
 gregationis licentia de claustro discedere liceat, in-  
 terdicimus. Quòd si discesserit, & commonitus re-  
 dire contempserit, tibi tuisque successoribus facul-  
 tas sit ejusmodi ubilibet à suis officiis interdicerè,  
 interdictum verò nullus Episcoporum Abbatumve  
 suscipiat, quandiu scilicet illic canonici ordinis te-  
 nor Domino præstante viguerit. Vobis itaque ve-  
 strisque successoribus in eadem religione permanen-  
 tis ea omnia perpetuò possidenda sancimus quæ in  
 præsentiarum pro communis victus sustentatione  
 possidere videmini, Ecclesiam videlicet sancti Sal-  
 vatoris de Veirieiras, & Ecclesiam sancti Petri de  
 Colnac, & Ecclesiam sancti Geraldii de Salas, uni-  
 versas præterea paratas sive symbolas, quas synodus  
 vocant, tam Ecclesiarum jam dictarum quam ex  
 ceteris Ecclesiis quas Ruthenensis Ecclesiæ Antisti-  
 tes, Petrus quondam Berengarij, Poncius Step-  
 hani, Raimundus Frotardi, & Ademarum, qui in præ-  
 sentiarum eidem Ruthenensi Ecclesiæ præsidet, vo-  
 bis in sumptus vestium concesserunt. Præposituram  
 quoque dignariam Ruthenensis parrochiæ, archi-  
 diaconiam, oblationes quoque vestræ matricis Ec-  
 clesiæ, quas dono præfati Ademari confratris nostri  
 & coëpiscopi possideris, vestræ communitatis us-  
 bus confirmamus, & quodcunque deinceps vos aut  
 successores vestri concessione Pontificum aut libera-  
 litate Principum vel oblatione fidelium justè atque

canonicè poteritis adipisci. Vt autem omnipotenti Deo quietiùs deservire & canonici ordinis disciplinam districtiùs observare possitis, cimiterium vobis apud matrem Ecclesiam, ubi communiter vivitis, juxta præfati fratris nostri Ademari vestri Episcopi petitionem habere concedimus, in quo fratrum vestrorum sive parrochianorum, quibus viventibus mysteria divina ministratis, deficientium corpora tumulentur. Si qua sanè ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Scriptum per manum Petri Notarij regionarij sacri palatij. Datum Romæ apud sanctum Petrum per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis I I. Idus Maij, Indictione v i i. incarnationis dominicæ anno M X C I X. pontificatus autem Domini Urbani Papæ secundi duodecimo.

